

בשׁת יְהוָה אֱלֹהִים

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
TENTAMEN

VINDICARUM  
OMNISCIENTIAE  
DEI  
SISTENS,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

CONSENSU AMPLISS. SENATUS PHILOSOPH.

in REGIA ad Auram ACADEMIA,

Publicæ eruditorum disquisitioni modeste committunt

A U C T O R

OLAVUS SCHALBERG,

PHILOS. MAGISTER,

Et


ELIAS UTTER,

SATACUNDENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE X. MAJ.

ANNI O. R. MDCCLVIII.

HORIS ANTE MERIDIEM CONSVENTIS.



ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,  
**D: NO MAG. ANDREÆ  
SALOVIO,**

Pastori Ecclesiarum, quæ DEO in Orihvesi colliguntur,  
Dignissimo, adjacentisque districtus Præposito Gra-  
vissimo, Evergetæ in perpetuum Devenerando.

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,  
**D: NO LAURENTIO  
FORSELIO,**

Pastori in Ruovesi vigilantissimo,  
Fautori Propensissimo.

**I**gnoscatis Patroni, submisse rogo, quod *Nomina Vestra*,  
me tamen, speciminis instar Academicæ, V. D. pro in-  
ſtra, & erga me & erga Paternam domum, sunt meri-  
Doleo autem, gratissimi, quem diu fovi, animi adhuc non  
te ſeſe obtulit, quid quantumque *Vobis* debeam publice si-  
mi, enumerare, vellem quidem, beneficia, sed neque pos-  
*Vestro* totum esse ære, quis non intelligit? Ast, quo me  
beoque maximas, humillimas, ob eum, quo meos meque  
rum intermissurus sum occasionem, quoconque modo, gra-  
dem nunc, ut decet, exprimi nequeat. Sciatis denique  
interpretemini partem, beneficiis maximum addidisse cumu-  
volentiam, Te ergo veneror, digneris facere, ut iisdem ex

N O M I N U M

cultor de-

ELIAS

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,  
**D: NO A B R A H A M O**  
**I N D R E N I O,**  
Pastori in Keuru Laudatissimo,  
Patrono Benignissimo.

Praeclarissimo VIRO,  
**D: NO H E R M A N N O**  
**R O S S,**  
Lectori Scholæ Cathedralis Aboënsis Meritissimo,  
ut antea Præceptorि Fidelissimo, ita jam  
Promotori Exoptatissimo.

dissertationi huic, proprio licet non elaborata Marte, a  
genii modulo defendendæ, præfixerim. Tot tantaque Ve-  
ta, quor quantaque a *Vobis* unquam profici potuerunt.  
nisi per pauca esse documenta. Ansam ergo, quæ jam spon-  
gnificandi, labens arripi. Singula *Vestm*, *Evergetæ Opti-*  
*fum*, neque hæcce eadem capeſet chartula. Hinc me in  
vertam futurus, nescio. Gratias saltem *Vobis* ago ha-  
femper amplexi estis favorem. Ad hæc, nullam in poste-  
tissimæ, quæ intus latet, mentis, edere specimina, cum ea-  
Eautores Propensissimi, *Vos*, si hæcce quæ adtuli in meliorem  
lum. Nosti, *Omnisie DEus*, præstitam ab *His* mihi bene-  
fententia succedant omnia!

VESTRORUM

vorissimus,  
UTTER. ETIAZI

Per quam Reverendo atque Doctissimo VIRO,

DOC.NO JOHNHANNI  
UTTER,


Sacellano Orihvesiensium Meritissimo,

Parenti mirifice Colendo, Amando.

**Q**uotiescumque TUA, PARENTS OPTIME, memini beneficia, quibus me ab ipsis incunabulis mactasti, roties quoque gratissimam testan-  
di mentem vehementissimo flagravi desiderio. In siou equidem  
gaudeo, illucescere jam diem, quem diu anxie expectavi, quo meæ in  
TE pietatis, gratique animi specimen publice edere mihi licet; doleo autem  
simul, deesse verba, quæ cogitationibus, quas cor foveat, exprimendis,  
ne dicam TUIS enarrandis sufficient meritis. Sed absit dolor! cum PA-  
TRE mihi est agendum, qui non tam verba, aut facta, quam potius vo-  
luntatem respicere semper solet. Dicam ergo paucis, quæ pluribus dici  
nequeunt. Opes licet exiguae, muto labore, mutoque sudore partas, noi-  
minori tueris cura, tuisque augere studes vigiliis, eum tantum in fiacem,  
ut mihi, raccio ceteros, prespicere queas. TIBI, PATER HONORANDE,  
quod vivam, quodque Musarum sacris operari & incipere & pergere po-  
tuerim, acceptum refero. Adspice igitur hancce Dissertationem a me nu-  
per defensam, tanquam consummata in carnis Musarum, olei animisque er-  
ga TUA, quæ quidem maxima lumen & innumera, beneficia, gratissimi tes-  
seram! Ad hæc, quantum in me est critique, SUMMIUM NUMEN arden-  
tissimis, venerari non intermittam suspiriis, dignetur TE, PATER OPTIME,  
estate licet proiectum adhuc diu salyum servare & sospitem, in gregis,  
quem fideliter pascis, emolumendum, nostrumque, quotquot TUI sumus,  
gaudium & solatium certissimum. Ita vovet, qui est, & vovabit, dum  
vixerit, futurus

CARISSIMI PARENTIS

Filius obedientissimus.  
ELIAS UTTER.



## PRÆFATIO.

**N**

Eminem, nisi sui rerumque humana-  
narum oblitum, fugere potest, no-  
stras in iis s̄æpiissime occupandas  
esse cogitationes, de quibus an-  
tea ne in mentem quidem nobis  
venerat. Idem C. L. jam mihi  
contigisse ingenue fateor, cum  
hocce opusculum prelo indeque tuo subjiciam ju-  
dicio. Saluberrimum ab ISOCRATE consilium  
Demonicō non solum, sed omnibus etiam aliis, qui  
sapientiam adamant, juvenibus, hisce datum legi-  
mus verbis: Μὴ κατάκει μακρὸν ὅδὸν πορεύεσθε τεχνές τὰς  
διδάσκοντα πί γενόμενον ἐπιγγελμένυς. Αἰχρὸν γὰρ τὰς μὲν  
ἐμπόρεις τηλικαῦτα πελάγῳ διαπεργάν, ἔτενα τὰ πλεῖστα ποιησοι  
τὴν ὑπάρχουσαν φύσιαν, τὰς δὲ γεωπέργας μηδὲ τὰς κατὰ γῆν  
πορειας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ θελτιῷ κατασῆσαι τὴν ἑαυτῆς διάνο-  
σαν. (a) Optimum sequi tanto magis decrevi con-  
A silium,

(a) Vide ejus ad Demonicum orationem pag. m. XI.

silium, quanto idem (Isocrates) dicat verius: Σοφία μόνη τῇ ἀπομάκρυνσι τὸν αἰδαῖτον, (b) ideoque terra marique studiose conquirenda. Hæcce igitur (mercatorum æmulaturus audaciam) descendit cupidus Laureamque ambiens salutavi Musarum delubra, utriusque damnatus voti mox ad patrium reversus larem. Sed, cum tempore mutor. Fecit namque singularis & maximis, inclytæ hujus, ad Auram, Academiæ, Celebratissimorum Antistitium in me favor, fecit non fucata plurium amicorum amicitia, ut a sole soli natalis accensus abeundi ardor in dies restingveretur. Ad hæc, pinguis nunquam immemor Minervæ, nihil minus, quam conatum quendam publice expromere in animum induxi. Enī mansi paulisper, fœtumque (aut si mavis *abortum*) quem vides, peperi. Præter destinata & animi consilium utrumque. Quæris forte instituti causam; accipe sequentem! Omine, fausto, an infausto, non dum pernovi, ab ipsis incunabulis, literas addiscendi tabui desiderio, quod jam magis magisque accrescit, cum, ut habet proverbium, *fracta tandem earundem nuce, intus latenter nucleus*, singulis mihi esse liceat diebus. Hinc omni in studiis proficiendi occasione semper immixtui, eandemque, ubi sese obtulit, obfert, obferret, mox arripui, arripio, arripiam, non ignorans *Cazonem* optime monuisse canendo:

---

Quam

(b) Orat. & pag. citata.

3

Quam primum rapienda tibi est occasio prima,  
Ne rursus queras, quæ jam neglexeris ante.

Cum itaque intellexerim, MAGNIS, mihiq[ue] ad urnam suspiciendis, literarum PATRONIS, non displicere, si quas publici juris facerem meditatio[n]es, manum (licet infirmam) operi admovere nullus dubitavi, cum probe scirem, me scribendo discere posse. Hocce concitatus stimulo, disputationem oculis obversantem tibi b. l. adtuli, quæ, an, præter tituli superbiam, quid contineat, ipse judicabis. In quæstione: *quænam differendi eligi-  
retur materies?* diu certe mihi aqua hæsit, donec stuctuantem animum in amorem & admirationem sui quasi abriperet Summi Numinis intellectus. O! inquis, arrogantiam detestandam; onus Ætna grá-  
vius juvenili humero portandum imponere audet.  
Sed suspendas, quæso, parumper judicium! Fa-  
teor, finitum nostrum intellectum immensum intel-  
lectus Divini abyssum, nunquam, ut decet, vene-  
rari, ne dum metiri posse. Fateor, quod elegi,  
argumenti maximum esse pondus. Fateor, mihi  
hæbes esse ingenium. Verum enim vero, hisce  
licet concessis, arrogantia crimen non extimesco,  
Cur? Homines humano more de eodem antea  
scripserunt argumento. Ast, ais: inter virum do-  
ctum & juvenem egregie indoctum est distingvendum.  
Non diffiteor, sed nihil ad rem. Parentis virtutes  
recenset & probat filius præclaræ eruditionis &  
maturæ ætatis, quis autem impedire sustineat, quo

minus idem, sincero animo, etiamsi lingua balbutiente & voce trementi, faciat rudis puerulus, aut dum facit, eum temeritatis arguere? Sic rerum æqui semper putarunt censores, scil. quamvis de-sint (*intellectus*) vires, tamen laudandam esse vo-luntatem. Verum, quid multis? Ad quam tendo, procul abhinc distat, meta. Tenellarum igitur conscius virium, TE, Summum Numen, veneror, digneris me tuo beare auxilio, ne quas cogitatio-nes tuæ ineffabili Majestati inimicas foveam; mi-nus exponam, sed cum tremore & veneratione summa de TE Philosophari discam. Te quoque H. L. quo decet, rogatum volo, verborum hono-re, ea, quæ de re tam ardua disputantur, pro mo-re, benigniori perstringas censura. Horarum ac-cipis, non dierum laborem, ideoque minus poli-tum. Possum equidem cum Demosthene dicere: Εγὼ δὲ ἵστε φίλα μὲν, Φηνί, καὶ τὸν ἀρχηγόνα πατριωτελε-ποέντα, ὡς ἐννῦ μάλιστα εἴναι. (c) Nimirum, quantum per temporis angustiam licuit. Scripto tamen huic ultimam, ut ajunt, deesse limam, satis constat. Si verborum desideraveris flosculos, scias mihi acci-disse, quod οἱ παρεμβαζούσενοι δὲ Φασοὶ τὸν τέρπην λέζοντες, ὅπ, ἀντὶ χωλῶν παρεμβάσιον, υποστάζειν μαθήσον. (d) Scilicet: cum Philosophis sum versatus, eorundem que minus casto dicendi adsvetus generi. Paucis: συγκίνωμι πεποτείρω! Atque sic: αὐτοῖς τὸ περιουμάζεσθαι,

(c) Apud Plut. de puer. inst. cap. m. XIII. com. III.

(d) Plut. de puer. inst. cap. m. VII. com. VI.

ηρι τωλαι τε τα περγυνατο λέγενται φουσι ηδη ἐπι το  
λόγον. Σὸν δὲ (implorato jam favore) παρακαλεσθῆσαι  
τα εἰδῆσαι εἰς δρόμον λέγω. (e)

## DISSERTATIONIS

**CAPUT** prius **PRÆLIMINARE** conti-  
net, explicat & demonstrat veritates, qui-  
bus DEI ntitur omniscientia, quæque, ut il-  
la *distincte intelligatur*, scitu sunt necessariæ.

### §. L

**O**mnis, inquit Cicero (f) que a ratione susci-  
pitur de aliqua re institutio, debet a definitio-  
ne proficiisci, ut intelligatur quid sit id, de quo  
disputetur. Postulat hocce Tullii nostri effatum,  
communi eruditorum usu, confirmatum, ut terminos,  
ipsi dissertationis fronti, impressos, certis ex-  
plicemus definitionibus. Quid sit *omniscientia*, par-  
te demum (si DEO placuerit) posteriori, dicemus,  
ast termini *Dei* mox distinctam tradere notionem  
juvabit. Cum C. Baumeistero (g) DEum O. M.  
definimus per *ens absolute necessarium*, quod ab hoc  
mundo diversum est, & a quo hic mundus tanquam a  
causa sua dependet.

A 3

SCHO-

(e) ΘΕΟΦΡΑ: Η. Φ. Χαρακτ. κεφ. α. η. 8. & 9.

(f) Lib. I. de Off. cap. m. 2.

(g) Instit. Met. §. 778.

## SCHOLION I.

Posse DEum O. M. sensu logico definiri, in thesibus, pro gradu editis monuimus. Asserti caussam paucis accipe! Definitio est *notio rei completa terminis expressa*. Omnia ergo, quorum notiones habemus *completas*, vere definiri possunt, etiam si desiderentur interdum *genus & differentia specifica*. Si jam allatam a nobis definitionem inspexeris, mox intelliges eandem sistere *notionem DEI completum*, ideoque esse legitimam. Est enim illa *notio completa*, quæ *distingue* recenset ejusmodi *notas*, quæ nulli, præter definitum, unquam competere poterunt, atque sic idem ab omnibus aliis rebus semper distingvere valent. Sed in data DEI definitione dictæ adsunt notæ, est ergo *notio completa* (per def.) *terminis expressa* (per concess.) ideoque definitio vere talis (per def.), ideoque DEus O. M. sensu logico potest definiri. Hanc vero definitionem *nominalem*, non *realem* esse nemo ignorat. Porro, cum ex *Logici* notum sit, definitiones nominales *accidentales* (seu *rectius attributales*) *essentialibus* oppositas esse *arbitrarias*, siquidem unum idemque ens plura attributa & *propria & communia* habet, ex quibus, vel singulis vel pluribus simul sumis, varia, veræ tamen ejusdem condi possunt definitiones, nullus miretur, quot sunt Theol. Nat. scriptores, tot quoque esse DEI definitiones in eorum scriptis obvias. Verum quidem est, S. N. nulla possidere cum alio quodam ente attributa *communia*, verum, imo verissimum, DEI optimi attributa *propria* cum ipsa illius *essentia* *identificari* (sic Scholasticorum termino *venia*). Attamen, cum postulet limitatus noster intellectus, ut *formaliter*, h. e. pro nostro concipiendi modo, *essentia* DEI ab *attributis* & *haec* ab illa distingvantur, hoc sensu dicimus, DEum per hoc suum attributum proprium, (sunt vero omnia propria) per illud, per istud, posse definiri. Nos, allatam

allatam definitionem ceteris (præterquam quod conclusionum sit feracissima) ideo prætulimus, quia revelationi eadem optime convenit. Dicitur namque in Sa Sa DEus יְהוָה, quod nomen ipsius est proprium, cum alio, qui DEus non est, minime communicandum. Ipse dicit: (Ez. XLII: v. VIII.) אֵנוֹ יְהוָה הוּא שֶׁמֶן. Cum hocce dicto conferas Psalm LXXXIII: v. XIX. Hinc Ab. Efra יְהוָה, inquit, *nomen DEI est proprium, ipsum ab essentia sua denominans, q. d. ens existens ab aeterno & in eternum.* Idem confirmat fidus vocis interpretes Johannes in Apocal. c. I: v. IV. scribens: ἐγὼν ἀπὸ τοῦ ὄντος ὃν τὸν ὄντα ἐγχόμενον, h. e. pax a qui est, qui erit, & qui venturus est. (b) Ex allatis facile colligitur, nomine יְהוָה, a radice וְתַחַת, orto, indicari, DEum ita existere, ut eodem modo nullum aliud ens existat. Cum vero cetera omnia contingenter existant, DEum necessario existere, quis non videt? (i) En ergo nostræ definitionis cum Revelatione amicissimam convenientiam!

### SCHOLION II.

Oleum & operam eos perdere, qui docent, DEum O. M. *ens* non dici posse, merito adserimus. DEus enim aut erit *ens*, aut *non-ens*, cum medium inter hoc utrumque non detur. Si prius, habemus desideratum, si posterius, ipsi ut *non-enti* repugnabit existentia (Cel. D. W. S. M. §. 258.) quod Atheismum sapit. Prius ergo verum sit, necesse est. (k)

§. II.

(b) Buxtorf. Lexic. Heb. & Cald. p. m. 156, 157.

(i) Conf. Celeb. D. Wall. S. M. §. 623.

(k) Vide Celeb. D. Wall. S. M. §. 242, de hoc plura.

***Existit DEUS.***

**U**Tinam hanc propositionem, omnibus rebus creatis & in primis animæ nostræ insculptam antea veram agnovissent, hodieque agnoscerent omnes. Ast, horret animus dicere, nunquam tanta otia sibi polliceri audet orbis literatus, ut svavissima ista, simuque apertissima veritas ab insultibus immanissimorum hostium prorsus tuta esset. Verum quidem est, teste *Cicerone*, nullam gentem adeo feram & barbarem esse, quæ non fateatur, dari *DEum*. Imo, idem, (l) loquor Ciceronem, *Wellejum* ex mente *Epicuri de DEO* disputantem inducit, eumque, postquam dixerat, *Epicurum* primum esse, qui vidit omnium animis DEI notio-nem ipsa natura impressam esse, sic argumentari narrat: *cum igitur non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse DEos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus.* (m) Docente eodem, *Cotta* quidam apud Ciceronem l. c. multas gentes sic immanitate effe-ratas esse arbitratur, ut apud eas, ne quidem Deorum suspicio sit. Dixit, nunquam probavit ille. Contra *SENECA* (in epist. 117.) testatur, *omnibus, inquiens, de Diis insita opinio est, nec ulla gens usquam*

(l) Lib. I. de Natura Deor. cap. XVI. &amp; XVII.

(m) Vide hæc apud Schubl. in ejus instit. Met. p. 509.

quam est adeo contra leges moresque projecta, ut non aliquos DEos credat. Taceo LUDOVICUM FABRICIUM, insignem reformatæ ecclesiæ Theologum, qui in sua apologia pro genere humano contra calumniam Atheismi, (n) idem prolixe evicit. Sed vero simul nullis lacrimis deploranda est veritas, *existisse, existere & (det Numen fallar!)* *existuros ejusmodi generis nostri, & quod magis horrendum, cœtus Christiani, abortus, qui abominanda de non-existentia DEI opinione in regno principis tenebrarum primatum discipiunt.* Sed hinc fere fuerunt, sunt & erunt, qui, agnita Numinis existentia, se ipsos coram tribunalij ejus non persistere posse, probe norunt. (o) Horum ferocissimus

## B

mos

(n) Vide Auct. cit. p. 510. 511. Cum Cotta illo faciunt P. Bælius (*Θεόσυνης: de mortuis nil nisi vere*) in *continuat. des pensées sur les com.* pag. 56. 392. 472. & Auctor de *l Histoir. de la Philosoph.* Payenne T. I. p. 8. - - - 36. Contra quos pugnat & triumpharunt cum SEN. & dicto LUD. FABRIC. eruditissimi La CROZE (*entret.* p. 253. 256.) & Celeb. J. ALB. FABRIC. delect. arg. & script. de verit. rel. Christ. (p. 308. - - 312.) Citante D. Wyttenb. in suo *Tent. Theol.* Tom. I. p. 5.

(o) Psalm. II: v. V. לֹא יִקְמֹ וּשְׁעִים בַּמִּשְׁפָט, confer. Michaelis Bibl. Ebr. de significatione vocis קָוֵה h. I. Præter hæc, Atheos in *Theoreticos & Practicos*, illos iterum in *Systematicos & Personales*, horumque priores in *Directos & Indirectos* dividi atque subdividi *αἰς ἐν ταρχήω* observamus. Confer. Baum. inst. Met. p. 550. De ceteris tristis neminem dubitare sinit experientia; Athei vero, num

mos insultus justis armis semper profligarunt viri eruditii. Argumentorum, quæ, contra dictos homunciones pro vindicanda DEI existentia, adferri solent, longum videmus catalogum apud SCHUBERTUM (in ejus inst. Met. p. 509. seqq.) & alios passim. Nos, ne quid gratis adsumere videamur, propositionem illam: *existit Deus*, contra sordidam & male sanam Atheorum plebem, evicturi, unico tantum argumento, a *DEI possibiliitate*, desumto, utemur. Parum abest, quin in sententiam abeamus beatissii SCRIVERI, qui cum Atheis nunquam disputandum, sed brevem solummodo illis opponendam esse confessionem, ex revelatione desumtam, arbitratur. (p) Verum nos abituros revocat Philosophorum cœtus, qui Tanti viri rarissimum (proh! dolor) laudarunt quidem *Zelum*, sed non probarunt *effatum*. Etiamsi ergo putemus, nec id immerito, Atheos, verberibus aut commiseratione, quam refutatione, esse digniores, attamen Philosophantium pressuri vestigia, promissaque servandi memores, eandem mox adgrediemur. Præmittendæ tamen, quarum in demonstrando usus erit, definitiones. *Possibile est*, quicquid nullam involvit contradictionem (Cel. D. Wall. S. M. §. 124.).

---

dentur *Personales*, instituti memores, disquirere superfedemus. Sciendum denique, Atheismi notam multis immerito inuri.

(p) Non succurit locus. Certum tamen est, hocce ejus *effatum* reperiri in dilectissimo ejus opere, quod vernacula dicitur: *Gjale Skatt.*

§. 124.). *Impossibile*, quod contradictionem involvit (§. 125.). Hoc utrumque vel *absolute*, vel *hypothetice* tale est. *Absolute* possibile dicitur, si in aliquo non continentur, quæ simul eidem inesse nequeunt, propter idearum ipsarum repugnatiam. Si autem, in aliquo non continentur, quæ una esse nequeunt, propter deficientem conditionem, quæ simul adesse deberer, erit hoc *hypothetice* tale (Cel. D. W. S. M. §. 135.). Contra, quicquid in se & idea sua, citra ullam aliam determinationem, vel conditionem ideæ superaccidentem, contradictionem involvit, vocatur *impossibile absolutum*. Quod vero contradictionem involvit, non in se & idea sua, sed propter conditionem, vel determinationem ideæ superaccidentem, appellatur *impossibile hypotheticum & respectivum* (C. D. Waller. S. M. §. 128.). Hisce allatis, quid sit *absolute necessarium*, facile intelligitur, scil. cuius oppositum eit *absolute impossible*. Porro: *realitas est quodlibet praedicatum, quidditatem seu rem ingrediens: seu, est quodlibet praedicatum, quo res constituitur* (§. 271.). Est autem jam definita *realitas duplex, Absoluta & Respectiva*. *Illa est positivum omnem excludens defectum; hæc est positivum cum aliquo coniunctum defectu.* Seu, *illa est realitas, sine ullo compoffibilis realitatis defectu; hæc realitas est cum aliquo compoffibilis realitatis defectu* (§. 743.). *Realitates denique compoffibiles sunt, quæ simul eidem subiecto inesse possunt* (Schub. inst. Met. §. 388.). *Positis hisce demonstrandi principiis, ad optatam conclusionem patet aditus. Idea*

realitatis absolutæ nullam involvit contradictionem (Cel. D. Wall. S. M. §. 745.), est ergo possibilis (per def. all.). Inter realitates qua tales seu absolutas simul positas, nulla invenitur repugnantia, quæ impedit, quo minus in eodem ente esse possint (C. D. W. S. M. §. 742. coll. cum §. 750.), (q) sunt ergo realitates absolutæ *compossibles* (per defin.). Ab æterno igitur verum fuit, in uno eodemque subiecto coëxistere poste omnes realitates illimitatas & absolutas. Ast, siquidem consensus harum realitatum in uno eodemque ente nullam conditionem seu determinationem ideæ superace- dentem, h. e. extrinsecam respicit, quæ faciat, ut eadem sibi mutuo non contrariantur, erit omnino ille consensus *absolute possibilis* (per def.) & conse- quenter ejusdem oppositum, sive dictarum realita- tum repugnantia, *absolute impossibile* (nam opposit. opposita est ratio.). Hinc denique colligitur, pos- sibilitatem entis omnes realitates absolutas easdem- que *compossibles* possidentis esse *absolute necessaria* (per def.). Porro, *existentiam* esse realita- tem vere talem, nemo sanus dubitabit. Erit ergo etiam illa una ex realitatibus, quarum consensu oritur

---

(q) Hoc idem docet Cel. Bilfng. in dil. Phil. p. 453. ubi quæ, inquit, *vere & simpliciter realia sunt*, illa non pug- nant, sed *compossibilita sunt inter se omnia*. *Nibunque est re- pugnatio attributorum*, ibi privatio est, vel negatio; igitur, si que illi adest realitas, est realitas conjuncta limitationi, est rea- litas secundum quid & gradualis, & temperata: non *absoluta*, & ut Scholastici loquuntur, *simpliciter simplex*.

oritur entis, de quo loquimur, possiblitas. Qui ergo illius negat *existentiam*, velit nolit, negabit simul *possibilitatem*. Est autem illa absolute necessaria (per dem.), ideoque sine aperta contradictione tolli nequit. Vides sic, *non-existentiam* entis nostri esse *absolute impossibilem* (per def. abs. imp.) indeque contra, ejusdem *existentiam absolute necessariam* (per def. abs. nec.). Veneramus autem hocce ens *DEI* nomine, existit ergo DEus. Dabo argumenti summam. Si nullam involvit contradictionem in uno eodemque ente coexistere omnes realitates absolutas, ejuscemodi ens omnino existit, sed verum est prius (per dem.), ergo etiam posterius. Sed idem ens DEum vocamus, ergo, q. e. d. (r)

B 3

§. III.

(r) Vile, inquis, argumentum! vilior, mihi credas, error profligandus. Quid quæso opus est multis, contra inermem illam Atheorum cohortem, armis? inspiciant, amice sogo, nisi oculi ipsis erati sunt, totum rerum existentium exercitum innumerum, & ad tutandam *DEI* existentiam, armatisimum! Quis illorum poterit resistere tot armatis? Resutes Athos, afflatum a possibiliitate *DEI* argumentum! Ominor, te ad idem cum *Forbeso* fore responsurum! Dolemus, nonnullos cum Atheis pugnatores tantum congerere argumentorum cumulum, quasi de re agendum esset incertissima. Num id gratis? Numne sic stultissimam opinionem refutaturi, eandem confirmant? Dicant viri docta pietate & pia doctrina conspicui!

**I**Nfinita sunt, præter hæcce actualia, possibilia, inde que infiniti, præter huncce mundum existentem, dantur mundi possibles. Quid sit possibile, nuper diximus, scil. quod nullam involvit contradictionem. Quæ ergo actu existunt, esse possibilia, in aprico est. Nos de possibilibus non-existentibus loquimur. Ast, mundus quid? Qui veterum sapientum consulere voluerit scripta, mundi genuinam desiderabit definitionem, effata vero, eundem specciantia, plurima, inveniet. (s) Recentiori contraævo, cum Cosmologiæ firmiora substrata sunt fundamenta, variæ variorum non desunt mundi definitions. Nos, missis aliis, cum Cel. WOLFIO, (t) LEIBNITIO, (u) BILFINGERO, (x) SCHUBERTO, (y) BAUMEISTERO, (z) THUMMIGIO & pluribus, mundum in genere definimus, quod sit series omnium rerum simultanearum, successivarum, mutabilium & inter se connexarum. Hunc ergo, qui existit, mundum, recte definias, quod sit series harum rerum simultanearum, successivarum, mutabilium & inter se connexarum. Hisce ita prælibatis ad thesis demonstrationem proprius accedere licet. Cardo hujus in eo vertitur controversiæ, omnis ne substantia creabilis sit creata, an non? Nos ad quæstio-

---

(s) Horum nonnulla videat b. l. apud Schub. Inst. M. p. 392. 393. (t) In Inst. Metaph. Germ. §. 544. (u) In Theod. p. 1. §. 8. (x) In dil. Phil. §. 139. (y) In Inst. Met. §. 729. (z) In Inst. Met. §. 396.

stionem negando, LEIBNITIANI affirmando respondent. Nostram demonstrare sententiam, illorumque simul refutare conabimur opinionem. Ponamus ergo omnem substantiam creabilem esse creatam, sic I:mo mundus hic esset infinitæ molis, (cum infinitum DEI intellectum infinita noscere possibilia infra evictum dabimus,) quod certe absurdum, contradictorium, ideoque impossibile est. Sic enim mundus ut ens compositum (per prin. Ont.) erit *infinitus*, sic dabitur corporeum compositum infinitum. En turpem fingendi libidinem! *Infinitum* est, quod nulos admittit limites (C. D. Wall. S. M. §. 1187.), seu, quod nullo defectu ulterioris cuiusdam, quod ceteris, quæ adsunt, est compossibile, laborat (§. cit.). Si ergo mundus esset infinitæ molis seu *infinitus*, actu ipso, nullo defectu alicujus ulterioris compossibilis quantitatis laboraret (Cel. D. Wall. S. M. §. 1183.). Sed compositum (tale vero est mundus) eousque auctum, ut, *absoluto sensu*, nullius ulterius augmenti sit capax, est absolute impossibile quid (ejusdem §. 850.). Mundus ergo *infinitæ*, ut fingunt, *molis*, est absolute impossibilis. (aa) Il:do DEO, enti perfectissimo (§. nost. II.) summam omnemque tribuendam esse libertatem, nemō sobrius inficias iverit. Hanc duplēcē esse, contradictionis seu exercitii, & contrarietatis vel specificationis, in vulgus notum est. Illa facultatem involvit

---

(aa) Huncce vero mundum ut ens compositum sensu nobis favente esse Syncategorematicæ infinitum patet ex citata C. D. W. S. M. §. 1183. coll. cum §. 1184.

volvit *agendi & non-agendi*: *hæc*, facultatem *agen-*  
*di hoc & agendi aliud.* (bb) Si jam omnis substantia  
 creabilis esset creata, alias non daretur mundus possibilis, indeque Summo Numini sola compe-  
 teret libertas *contradictionis*, vi cujus poterat crea-  
 re & non-creare (per def. all.), exclusa *contrarie-*  
*tatis*, vi cujus potuisset creare *hæc* & creare *alia*  
 (per def. all.). Quis autem non videt hocce enti liberrimo repugnare? III:io Sub hac hypothesi,  
*omnipotentiam DEI in limitatam potentiam converti*,  
 oppido patet. Quis enim, quæso, adeo est libera-  
 lis, ut eum omnipotentem dicat, qui, præter finitam hanc actualium seriem, nihil amplius præstare valet? Ad *hæc*, fingamus, huncce rerum nexum (in §. seq. demonstrandum) esse *unice possibilem*, erit quoque *necessarius*, quod etiam si falsum esse singulos doceat rerum magistra, ejusdem tamen *contingentiam* infra mox sumus evicturi. Vides sic H. L. ex *hypothesi*, qua statuitur, *on nem substantiam creabilem esse creatam*, nos tria legitime deduxisse absurdia (possemus autem plura deducere), ideoque Leibnitianos falso ad quæstionem propositam *affirmando*, nos contra *negando* vere respondeisse (per præc. Log.). Fateor, inquis, sic, plura, præter actualia, esse possibilia, pluresque rerum nexus: sed, num *infinita possibilia?* Num *infiniti*, præter

---

(bb) Hisce libertatis speciebus tertiam scil. *modi*, ubi res diverso modo agi possunt, nonnulli, quibus entia præter necessitatem multiplicare voluere est, addere volunt. Vide Bilf. dil. Phil. §. CCCI,

præter huncce, dantur mundi possibiles? Dantur. Sed distincte agendum. Ubi nostris cogitationibus in sphæram possibilium ascendimus, illa *duplicem* subire *considerationem*, mox sumus visuri. Spectantur namque vel *absolute*, h. e. in se & separatim ab aliis, vel *respective*, h. e. ut *junctim* sumta & inter se *connexa*. In sphæra possibilium *absolute* *talium* continentur rerum *essentiæ* (& cum his individuo nexo conjuncta) *attributa*. Hæ *essentiæ* sunt *necessariæ*, ideoque in *intelligente necessario* non possunt non contineri. Nam *essentiæ* rerum absolutuntur earundem *possibilitatibus* (C. D. Wall. S. M. §. 331.). Possibilitates vero consistunt in *absentia contradictionis* (per def. poss.), & consequenter in *absentia simultaneæ affirmationis & negationis unius ejusdemque de uno eodemque* (per def. contrad.). Cum igitur *essentiæ* sint *necessariæ* (per antec.), cumque & *affirmatio & negatio* in *conceptu* consistant, adparet possibilitates præsupponere ens *necessarium intelligens* (de quo §. nost. 11.) quo sublato, omnia tollerentur possibilia, *essentiæ* omnes. (cc) Fundantur ergo *essentiæ* in intellectu Divino. Hunc infinitum esse ex Theol. Naturali & §. nost. cit. abunde constat. Cum ergo infinitus sit illarum fons, infinitæ quoque erunt *essentiæ*. Pone namque terminum *essentiarum*, ultra quem nullæ aliæ forent possibles, ponis simul *intellectum*, in quo sui agnoscunt *fundamentum*, *termino* seu  
C  
*limite*

---

(cc) Vide de hisce plura in Cels. D. Wall. S. M. §. 608, coll. cum Ill. Bilfng, dil. Phil. §. XXXIII.

limite circumscribi, sed falso sum posterius, ergo etiam prius. Innumeræ igitur sunt, præter actuales, essentiæ. Hæ possibilitatibus absolvuntur, dantur ergo *infinita possibilia*. Hoc erat prius. Sed, num mundi innumeri seu infiniti possibles? Sunt. Cum enim infinita sint possibilia absolute talia, plana apertaque est ad desideratos mundos via & porta. In possibilibus dicto sensu acceptis, præter *essentias*, *attributa* & modorum *possibilitates* nihil concipere licet. Sed ubi infinita illa possibilia *respective*, n. e. ut junctim sumta & inter se connexa spectantur, tum unum per alterum determinatur, tum essentiarum modificationes exsurgunt, tum denique oriuntur infiniti illi mundi possibles. Si enim, ut docet summus noster Philosophus Celeb. D. Wallerius (in suo S. M. §. 146.) ex arte combinatoria constat, immensum oriri mundorum possibilium numerum ex varia eorum combinatione, quæ in hocce mundo existunt, ex infinitis istis possibilibus, infinite adhuc majorem oriri eorundem mundorum numerum, eadem ars postulat. Sunt ergo infiniti mundi possibles præter nostrum actualem. H. e. p.

### SCHOLION.

1:mo Sciendum, nos infinitum hac in §. semper accipisse sensu Mathematico, non Metaphysico, ideoque nullam involvere contradictionem, cum diximus, infinito dari infinitum majus & minus, siquidem de numero quæstio est. 2:do Quænam inter mundos, de quibus nobis sermo fuit, possibi-

19

ter & orbis seu mundos inhabitatos (quos existere dixi The-  
sium pro laurea editarum decima sexta) sit differentia, ne-  
minem fugit. Illa observanda. 3:to Quæ in hac §. dis-  
putata sunt, Hobbesio, Abelardo, Wiclefo & Leibnitio opposi-  
ta sunt, qui (teste Illust. Bilfing. dil. Phil. § XXXVII.)  
actualia possibilibus dicuntur coextendisse, seu opinatos es-  
se, omne possibile etiam esse actuale, nihil sic agnoscentes  
possibile, nisi quod actu existat in hocce universo. Quo-  
rum argumenta, num solidi quid, contineant, videat H. L.  
ipse apud Auct. cit. §. cit. Quod ad acutissimum atinet  
*Leibnitium*, certum est, eum, demonstraturum: hunc mun-  
dum esse unice optimum, in hypothesi de omni substantia  
creabili creata asylum quæsivisse. Inde vero absurdicatum  
ex eadem oriundarum memor, videtur quidem mentem mu-  
tasse, & mundorum concedere possibilium pluralitatem, sed  
latet anguis in herbis, quem & visum & occisum legitimus  
in dissertatione Upsaliæ ventilata sub præsid. Cel. D. Wal-  
lerii de quæstione: *an omnis subst. creab. sit creata?* Nos,  
pro instituto, tam illorum, quam hujus errorem refutare,  
eademque opera nostram sententiam demonstrare studuimus.  
Hoc vero dum fecimus, nemo, nos a scopo aberrasse, pu-  
tet. Omnis scientia DEI, quam (ut canit Poëta) cursu con-  
tingere optamus, est meta. Hanc infinitam esse dici antea  
non potest, quam evictum est, dari *objecta infinita & scibilita*.  
*Talia* esse *objecta* heic extra dubitationis aleam ponere vo-  
luimus, debuimus, de eorundem *scibilitate* in sequentibus,  
pro ingenii modulo, dicturi.

#### §. IV.

**E**T in hocce mundo & in ceteris omnibus possibili-  
bus datur nexus. *Res*, quarum altera ratio-  
nem continet, cur altera, vel juxta illam existat,

vel illam sequatur, inter se connexas dicimus. *Nexus* autem rerum est illa earum ad se invicem relatio, vi cuius altera, vel qua existentiam, vel qua successionem, continet rationem alterius (Cel. D. Wall. S. M. §. 1445.). Nexus duplicem constituant Philosophi, per causas efficientes unum, per finales alterum. Hinc Illust. Wolfius (in Annot. §. 176.) nexus rerum definit per earum dependentiam a causis efficientibus & finalibus. Nexus per causas efficientes adest, si in uno mutatio producitur ab altero: per causas vero finales, si in uno mutatio producitur ob alterum (Schub. inst. Met. §. 728.). Melius & distinctius. Illud (nexus) vocamus eam rerum ad se mutuam relationem, vi cuius, una continet in se rationem sufficientem, cur sequatur altera: seu: ille nexus est ea rerum ad se invicem relatio, vi cuius una (ut causa efficiens) producit alteram (ut causatum). Ad hunc quod attinet, accipe sequentia. Id, propter quod causa efficiens agit, dicitur *finis*, item *causa finalis*. Quicquid autem rationem in se continet, cur finis actum consequatur, *medium* vocatur. Nexus jam inter finem & medium dicitur nexus per causas finales, qui obtinet, quando mutatio fit unius ob alterum. (dd) Et (in S. suo M. §. 1456.) Cel. D. Wallerius duplii itaque, ait, modo connecti possunt causa & causatum, altero, quatenus unice spectantur,

---

(dd) Vide hasce definitiones in dissert. Upsl. edit. sub praesidio Cel. D. Wall. de *nexus inter causam & effectum*, §. VII.

stantur, ut caussa & caussatum (§. 1452.), altero, quatenus agens intelligens caussam cum caussato, tanquam medium cum fine, connectit (§. 1455.), seu, per rationes finales. Porro, caussa efficiens est causa externa, cuius actio est ratio sufficiens existentiae alterius (Cel. D. W. S. M. §. 1282.). Est autem ratio sufficiens id, ex quo intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit, cur sit potius hoc modo, quam alio (Baum. instit. Met. §. 31.). Hisce positis demonstrandi principiis, ad conclusionem optatam propius accedimus. Lente vero festinandum. Omnia hosce mundo comprehensa, esse entia contingentia, nemo dubitat. Quod autem contingenter existit, id a caussa quadam efficiente est productum (Cel. D. Wall. S. M. §. 1289.). Nequit autem aliquid esse caussa sui ipsius efficiens (§. 1288.). Relinquitur ergo, singula actualium sui agnoscere caussas efficientes aut in mundo, aut extra mundum. (ee) Pone posterius, tunc DEus

C 3

O. M.

(ee) Non loquimur de ratione contingentium ultima seu *τελεόχην* sufficiente, quam in ente necessario unice reperiri satemur (Cel. D. Wall. S. M. §. 634.). Sed quæ heic a nobis disputantur, eo tendunt, ut disquiratur, nam, concessa huic mundo existentia, singula ita sine constituta, ut unum producatur ab altero, utque unum existat ab alterum, aut, num posita mundi actualitate, omnium, quæ in eodem facta sunt, sunt vel sicut, ratio sufficiens in ipso sapientissimo conditore immediate sit querenda. Qui illud, h. e. res inter se connexas esse insicias iverit, hoc, velit, nolit, statuere debet.

O. M. omnium, quæ unquam exstiterunt, sunt, aut erunt, foret cauſsa vera, efficiens & immediata, tunc mali eſſet quoque auctor, tunc omnes creaturam modificationes seu modorum variationes, quæ ex earundem virib⁹ aetricibus aliisque ſimul ſumtis oriri poſſunt, immediate produceret, tunc virib⁹ ſupernaturalib⁹ ea praestaret, quæ naturalib⁹ effici poſſent, & cet. Quis quæſo enumerare valet omnia cum hac hypothesi conjuncta incommoda, mala & absurdā? Taceo ejusdem cum experientia pugnam. Eandem igitur fallam esse (per pr. Log.) nemo non videt. Prius ergo (ob defectum medi⁹) verum sit, neceſſe eſt, ſcil. ut unumquodque aetuale (ff) in aliquo priori actuali ſui agnoſcat rationem ſufficientem. Datur igitur in hocce mundo *nexus per cauſas efficientes* (per defin. allat.). Porro, communi edocemur experientia, eorum, quæ ſimul existunt, alterum alteri multiplices praestare uſus. Teste III. *Bilfinger* (gg), ostendit Cel. *Wolfius* eundo per ſpecies, quod corpora omnia ſint ita ordinata, ut alterum ſic vel aliter conſtitutum intelligi poſſit propter alterum, ſicque extra controverſiam poſuit obtinere in hocce universo *nexus per cauſas finales* (per definit. dat.). (hb) Idem, (Ioquor Celeb. D. Wallerium) postquam de *nexus per cauſas efficientes*

---

(ff) Exceptis iis, quæ per miraculum actum conſequuntur (confer. C. D. W. S. M. §. 1467.).

(gg) Dil. Phil. pag. 160. (hb) Vide exempla hujus *nexus* apud Cel. D. Wall. S. M. pag. 500. & 505.

cientes (§. 1453.) & finales (§. 1455.) locutus est, ad calcem pag. cit. duplicitis, inquit, *hujus connexio-*  
*nis exemplum modo astulimus: nam sol cum genera-*  
*tionibus & corruptionibus connectitur, ut causa &*  
*causatum. Deinde quia DEus solem ideo produxit, ut*  
*harum mutationum in tellure esset causa, connectur-*  
*tur etiam sol & tellus per rationes finales.* Hunc  
vero utrumque nexus non nisi hypothetice necessa-  
rium (Baumeist. Instit. M. §. 423.) ideoque conin-  
gentem (eiusdem §. 424.) esse, verbo monuisse suf-  
ficiet. (ii) Ad hæc, summam de rerum nexus di-  
cendorum allaturi, eandem in dissertatione Præside  
Cel. D. Wallerio Ups. ed. (kk) obviam heic in-  
serere lubet, cum brevius, aut melius vix, aut ne  
vix quidem, proponi queat. Ibi vero verba sic  
habent: *concludimus I:mo Entia finita non conne-*  
*cti, nisi quoad accidentia, quorum præcipuum est exi-*  
*stentia.* (ll) II:do *Plura non connecti, quam quo-*  
*rum unum vera, reali & transeunte actione, agit in*  
*alterum, non que nudam in agendo servant similitu-*  
*dinem.* (mm) Cum nullo probabili arguento evinci  
queat, omnia agere in singula & singula in omnia,  
sequitur III:to nec omnia cum singulis, nec singula  
cum omnibus esse connexa. *Quia tamen vi principij*  


---

(ii) Non ignoramus, nec negamus dari nexus absolute  
necessarium (Cel. D. Wall. S. M. §. 1446.) de hoc vero  
nobis heic sermo non fuit.

(kk) *De Decretis Divinis.* (ll) Confer. cit. Præf. S.  
M. §. 1447. (mm) Eiusdem S. M. §. 1465. coll. cum  
§. 1468.

rationis sufficientis, nihil existit naturaliter, quod non  
 in aliquo priori naturali sue existentie rationem ha-  
 beat sufficientem, nec illa fieri potest mutatio, quæ  
 non dependeat vel ex mutatione quadam priori ejus-  
 dem entis, vel ex aliquo alio coëxistente, patet IV:to  
 omne, quod naturaliter existit, cum aliquo alio præ-  
 cedente, vel coëxistente, esse connexum. Sed e terra  
 in cœlum. Num in mundis possibilibus etiam obtinet  
 nexus? Certe. Sunt infiniti mundi, præter actualem  
 possibiles (§. nost. III.), mundus vero est series  
 rerum simultanearum, successivarum & mutabilium  
 inter se connexarum. Patet ergo ex definitione  
 jam allata in dictis mundis obtinere nexus, utpo-  
 te qui a completa mundi notione separari nequit.  
 Monuimus §. antec. possibilia vel *absolute* vel *reſpe-  
 ctive* esse consideranda. Cum ergo dicimus in  
 mundis possibilibus dari nexus, id ita intelligen-  
 dum esse volumus, ut possibilia illa *absolute* talia  
 in innumera systemata sic redacta sint, ut in suc-  
 cessivis prius semper contineat in se rationem suf-  
 ficientem posterioris seu sequentis, & ut unum sit  
 ob alterum. Tolle vero hunc in possibilibus ne-  
 xum, dic vero, iisdem in varia systemata coactis,  
 omnes mutationes, omnia accidentia, a DEO O.M.  
 ut *unice* & *immediate* dependentia concipi debere,  
 videbis, difficultates antea profligatas recurrere.  
 Statuis namque, e. g. S. Numen ibi producens  
*immediate*, quæ per *possibilium* inter se connexorum  
 vires possibilia forent, h. e. statuis *impossibile* in  
 mundo *possibili*, *impossibile* enim est, ut DEus sit  
 sapien-

sapientissimus, & simul tamen vi tuæ hypotheseos agat, vel agere concipiatur. Ast, inquis, entia finita non connecti possunt nisi quoad existentiam & cetera accidentia, nexus ergo *possibilium non-existentium* involvit contradictionem, ideoque est impossibile quid. Resp. Possibilium mundorum non nisi *possibilem* defendimus *nexus*. Hæc ergo nostra est mens, quod a *primo* cujuslibet mundi *statu* ut *possibili* spectato reliqui omnes ut *possibles* sequantur *hoc modo non alio, hoc ab illa causa possibili, illud ab alia, istud denique a sua*, quodquæ, si unicuique mundo possibili primum daretur existendi momentum, in singulis *unum* produceret *alterum*, unumque esset ob alterum, verbo: in nullo nihil foret sine ratione sufficiente. Naturam nexus pluribus & plenius explicare, a scopo & viribus alienum. Nobis pro fine sufficit paucis demonstrasse, omnium, quæ ad hunc vel ullum possibilem mundum pertinent, dari caussas *efficientes* & *finales*, in actuali *actuales* in possibilibus *possibles*, quod quidem neminem, nisi qui sanæ mentis naufragium fecit, inficias iturum speramus.

### COROLLARIUM.

Ex stabilito hocce rerum nexus sequitur, *omnibus & singulis eventibus naturalibus determinatam* competere *veritatem*, & *determinatam futuritionem*. Ponit enim hic nexus dari omnium contingentium rationes suffientes in mundo, h. e. ponit *determinantia* (per pr. *Ont.*) quibus (*omnibus*) positis, ponuntur quoque *determinata* (Cels. D. Wall. S. M.

§. 196.). Eventus ergo *præteritos* certo accidisse, *præsen-*  
*tesque* certo contingere, nullum quidem erit dubium; num  
autem *futuris eventibus* determinata tribui possit *futuritio*, an-  
xie forsan rogaveris? Res in vado est. Cum enim mun-  
dus (per def. & demonst.) sit *series rerum mutabilium inter*  
*se connexarum*, sequitur, omnes & singulas in eodem muta-  
tiones sui agnoscere rationes sufficietes in antecedentibus  
& coëxistentibus, hæ iterum in *aliis* prioribus & coëxisten-  
tibus, & sic porro ordine retrogado usque ad primum exi-  
stendi momentum, adeo ut ex primo mundi *statu*, ceteri o-  
mnes certo sequantur *hoc modo non alio*, usque ad instantem  
hujus universi interitum. Antecedentia ergo, cum in se,  
antequam existunt sequentia, contineant rationes sufficietes,  
cur erunt potius, quam non, hoc, non alio modo, *illa* præ-  
determinantia, *hæc* vero prædeterminata merito dici, ex ipsis  
terminis intelligitur. Latuit igitur *determinata futuritio* fu-  
turorum ab *eterno* in eorundem caussis antecedaneis & præ-  
determinantibus ut *possibilibus* spectatis. Inde vero, conces-  
sa huic mundo existentia, prima ejusdem recens actualis  
*frons aperta janua* & sufficiens caussa (suo modo) omnium  
futurorum eventuum fuit.

## §. V.

**A**nime humanæ summo jure tribuitur libertas, *actus-*  
*que ab eadem dependentes ut liberi sunt, ita quo-*  
*que determinatæ certitudinis, seu determinati.* Posse-  
mus equidem hanc propositionem partim per prin-  
cipia Psycol. partim per demonstrata §. anteceden-  
te, ut certam adsumere. Sed, cum adversarii no-  
dum in hoc scirpo quærunt, vel potius quærendo  
fessi ipsi connectere student, operæ pretium duci-  
mus,

mus, eandem sua vestitam veritate cœcorum tac-  
 etui palpandam objicere. Potest allata propositio  
 (est enim *composita* per def. prop. comp.) in tres  
 simplices resolvi. Sunt vero hæ sequentes: *animæ*  
*nostræ* competit *libertas*: *actus ex ea pendentes* sunt  
*liberi*: iidem *actus sunt determinati*. De unaquaque  
 singulatim & quidem de prima primo dicendum.  
*Libertatem* definimus per *potentiam activam ad u-*  
*num, ex pluribus sui respectu possibilibus distincte re-*  
*præsentatis sese sponte determinandi*. Ex hac liberta-  
 tis definitione patet, tria potissimum esse ejusdem  
 requisita, scil. I:mo *intellectum*, h. e. facultatem  
 res *distincte* repræsentandi: II:do *indifferentiam ad*  
*opposita*, quæ involvit immunitatem ab omni coactio-  
 ne & necessitate tam *absoluta*, quam *physica*: (m)  
 III:to *Spontaneitatem* seu potentiam agendi per *prin-*  
*cipium internum*. Hæcce tria si *animæ nostræ* in-  
 sunt requisita, ei quoque tribuenda erit libertas.  
 Illa igitur *digito* tantum monstranda, cum ab aliis  
 invictis demonstrata argumentis passim legantur.  
 Nobis *animam* esse præditam *intellectu* & *voluntate*,  
 cum neque negent omniscientiæ DEI hostes, con-  
 tra quos arma paramus, neque ullum sanum fuge-  
 re possit, nominasse sufficiet. Anima vero *nulla*  
 vi *sive interna* *sive externa* cogi potest ut adaptat  
 vel aversetur (Baum. instit. Met. §. 671. coll. cum  
 §. 687.) sed potest *agere* & *non-agere*, *agere hoc*,  
*agere aliud*, ad quocunque motiva *hæc* & *alia*

---

(nn) Hocce libertatis requisitum vocat Baum. (Inst. Met. §. 677.) *contingentiam.*

svaviter allegerint, h. e. retinet *indifferentiam ad opposita*. Porro, per *spontaneitatem* intelligimus potentiam agendi per principium internum, seu *se ipsum determinandi*. Cum ex dictis constet animam nulla vi cogi posse ad appetitum vel aversationem, relinquitur eandem *se ipsam* (*pro gradu tamen motivorum*) determinare, atque sic eidem merito adscribi spontaneitatem (per def.). En! requisita: en! libertatem. (oo) Secunda hæc erat propositio: *actus a libertate animæ dependentes sunt liberi*. Hi actus *duplicis* sunt *generis, interni & externi*. Illi dicuntur qui sola vi animæ eliciuntur, quales sunt *volitiones & nolitiones*. Hi vero, qui motu organorum corporis perficiuntur, (pp) & voluntatis imperio subjacent. Est propositio allata *indemonstrabilis* (vide Logic. Plenn. pag. 40. quæst. 103.) ideo-

(oo) Litibus de natura libertatis ortis nos immiscere nec licet nec lubet. Harum vero summam & sanum de iisdem judicium videat sciendi cupidus in diss. Ups. ed. sub præf. C. D. Wallerii de *Præscient. Div. ejusque cum libert. hum. concordia* §. VII. atque apud auct. ibi citatos. Sed libertas voluntati ne, an *intellectui* tribuenda? Walchius (in sua *Introduct. in Philosop.* p. m. 319) concedit dari quidem libertatem *hominis*, non vero *voluntatis*, omnemque sic (& cum illo nonnulli alii) in *intellectu* quærendam esse libertatem opinatur. Nos contra *voluntati omnem, intellectui autem nullam* proprie loquendo competere libertatem jure defendimus. Rationes adferremus, sed brevitatilantes H. L. ad Cel. Bilfinger. Dil. Philos. §. CCLXXXVI. modeste relegamus, ubi, pro more, hanc controversiam *breviter, sed solide dirimunt*.

(pp) Vide Wolfi Inst. Jur. N. & G. P. I. c. I. §. I.

ideoque ad tertiam festinamus, quæ hujus erat tenoris: *idem actus sunt determinati.* Quanti hæc thesis sit momenti, vix, aut, ne vix quidem dici potest, ubi nimis de *futurorum contingentium præscientia* agitur. Ejusdem igitur veritatem evicturi, in actionibus liberis *nexus* obtinere prius demonstrabimus, quo facto, nos omne (ut canit Poëta) tulisse punctum, facile intelliges. Omnium vero primo dispiciendum est, quid sit *determinatum*, quid *indeterminatum*, quid *necessarium*, num *necessarium* inter & *determinatum* ullum & quodnam discrimen. Si aliquod spectatur ut id, cui aliquid competere potest, ut tamen illud ei competit, adhuc statuere non licet, *indeterminatum* vocatur (Cel. D. Wall. S. M. §. 188.). Quatenus autem consideratur ut id, cui aliquid competere potest, *determinabile* audit (§. ead.). Indeterminato opponitur *determinatum*, cui aliquid certi competere, statuere licet: seu, si aliquid spectatur ut id, cui quid cum certitudine competit, *determinatum* est (§. 192.). *Necessarium* vero in genere dicitur, cuius oppositum est *impossibile* (§. 589.). Hisce jam datis definitionibus, facile est ad quæstiones illas: (num quæ inter *determinatum* & *necessarium* sit differentia? atque si fuerit, quænam illa?) responsu. Priorem affirmamus, cum *illud* cum *contingentia* *sæpiissime*, *hoc* *nunquam* consistere possit. Sed *qualis* hæc differentia? Hæc posterior erat quæstio, ad quam sic respondemus: *Omne necessarium est determinatum*; nam *necessarii* oppositum (per def.

all.) est impossibile, ideoque utor verbis C. D. Wall.) ponit unicitatem affectionum de necessario vel affirmandorum vel negandarum, & idcirco est determinatum (per def. det.). Cave autem convertas propositionem, dicendo: *omne determinatum est necessarium.* Unde namque hoc probabis? Legis nunc conscriptam a nobis dissertationem. Hæc lectio cum certitudine de te prædicatur: ita ne? est ergo tuus legendi actus *determinatus* (per def.). Po- ne vero omne determinatum esse necessarium, erit quoque iste tuus actus necessarius (vi hyp.) erit que ejus oppositum (h. e. non legere) impossibile (per def.). Absurdum hoc. Numne enim hanc tuam lectionem potuisses omittere hoc die, hac hora? Annon loco ejusdem potuisses scribere, ambulare, vel aliud quid agere? *Necessitatem* ergo unde colligis? Esset ne sic hæcce tua lectio *unice* possibilis? Sed nemo hoc tibi persuadere poterit. Ast, inquis, est tamen *quoad actualitatem unica*. Bene, num autem idcirco necessaria? minime: non enim unicitas *actualitatis* seu *existentie*, sed *possibilitatis* infert necessitatem. Fateor equidem te dum legis, *necessario* legere, cum impossibile sit ut *simul* & *semel* legas & non-legas, at, quæso, neque inde putas, tuum legendi actum esse *necessarium*, sic enim omne contingens, quoniam dum est, *necessario* est (Cel. D. W. S. M. §. 68. coll. cum Baum. Inst. M. §. 29.) simul esset *necessarium*, quod implicat. Me ergo *judice* differt *non esse necessario* maxime a *re esse necessarium*. Sic (verba sunt C. D. Wall. §. cit.)

§. cit.) hæc *actualis scriptio*, *citra hypothesis*, quod existat, non est necessaria, sed contingens, cum hypothesis autem, quando est, non potest simul non esse, atque eo modo necessario est. Optamus hinc, vellent adversarii puerilem illam conclusionem omittere: si actus liberi sunt determinati, erunt quoque necessarii, eandem enim nullam esse ex dictis abunde constat. (qq) Hoc heic & monuisse & demon-

(qq) Placet hic ob majorem evidentiam Ill. Bilfingerum de discriminis inter determinatum & necessarium loquentem inducere. Ita vero ille (Dil. Phil. §. LXXXVI.): "Certa igitur est omnibus Philosophis distinctio determinati in determinatum necessario tale & contingenter vel & libere tale: in nō unicum ratione possibilis & ratione actualitatis tantum. Quoniam usurpabo posthac eam distinctionem, vellem, ut secundi membra distingventis nomen peculiare praesto esset: idque in Philosophia desiderari doleo. Puto etiam, ex hoc defectu & paupertate ortum esse, ut, licet sèpe a multis dictum sit, omne necessarium esse determinatum, sed non omne determinatum esse necessarium, tamen in applicatione ista duo sint sèpissime commixta. Ut incommodum evitemus, secundum membrum distingvens necessitatis oppositum, dicemus posthac determinatum ratione actualitatis tantum, contingenter determinatum, determinatum in sensu specialiori, determinatum in oppositione ad necessarium, nō unicum existentia. Hisce in notula §. citatae subjuncta addit sequentia: nescio, an ad evitandam determinationis & necessitatis confusionem conducere interdum valeat, ut determinatum vocetur aliud essentialiter aliud causaliter tale; atque hoc secundum ex causa necessaria vel libera. Ita determinatæ sunt actiones meæ in crastinum futuræ, non es-

monstrasse juvabit, quo, evicta in sequentibus actuum liberorum determinata certitudine, omnis exulet eorundem necessitatis formido. Hinc ad neminem inde in portum. Quodcumque esse potest, & non esse, hoc & alio modo, habebit rationem sufficientem, cur sit potius, quam non sit, hoc potius modo quam alio (C. D. Wall. S. M. §. 95.). (rr) Nostra voluntas,

---

sentialiter per ipsam oppositi impossibilitatem, sed per causam suam; naturales per necessariam, physica consecutione, voluntaria per liberam, intellectuali optione. Nescio, inquit vir acutissimus, num, &c. Nobis saltem maximi esse videntur momenti quæ nuper dixit. Nam, (ut ipse loquitur & probat §. ant. LXXXV. ad calcem) "potest fieri, ut, quod determinatum est respectu actualitatis, sit simul & unicum ratione possibilis, idque absolute, ut existentia entis a se, vel hypothetice, in cursu siderum, statu aëris &c. h. e. in iis, quæ feruntur necessitate naturæ. Potest vero etiam esse determinatum respectu actualitatis, quod nec absolute, nec hypothetice est & unicum possibilis. Certum id est in omni Philosophia, quicquid enim existit & sit, existit & sit determinate. Existunt & sunt tamen plurima non contingenter solum, sed & libere; sunt igitur sic, ut possibile sit existere, fieri, &, non-existere, non fieri illa."

(rr) Legis propositionem (cujus nomen est: principium rationis sufficientis) sua canitie maxime venerabilem. Sed cui honos debetur, non semper, nec ab omnibus exhibetur. Quotum haec? Novimus, nonnullos allati principii veritatem universalē suspectam reddere vel habere saltem conari. Hisce fusque deque habitis, nos, idem utpote in serie contingentium universaliter verissimum absque adjecta demonstracione adtulimus, cum eandem solito robore adornaverit Cele-

luntas, ut *facultas* seu *potentia* appetendi & aver-  
sandi, spectata, est quidem *determinabilis* (per def.)  
non tamen *determinata* (per def.), nisi contra prin-  
cipia Met. a possibilitate ad actum absurde velis  
concludere. Certum tamen est per experientiam,  
*indeterminatam* illam *facultatem* (vol.) ad *actualem*  
*adpetitum* & *aversationem* sæpiissime perduci. Hujus  
utriusque actus (*cum* contingens sit) detur necesse  
est ratio sufficiens (per all. princ.). Hæc in *exi-  
stente* & quidem *contingente* contineri debet (per  
dem. in §. nost. IV.). Hoc existens aut erit *intra*  
aut *extra* volentem. Non *posteriorius*, tollit enim a  
nobis supra vindicatam animæ libertatem, *prius*  
ergo. Anima est volens, ideoque *intra* illam quæ-  
renda est actualis volitionis & nolitionis ratio suf-  
ficiens. Anima, et si ut ens simplex *eadem* sit quæ  
intelligit, *eadem* quæ vult, *eademque* quæ non vult,  
*intellectum* tamen & voluntatem ipsi ut formaliter tan-  
tum diversas facultates tribuimus. Hæc (non ex-  
clusa vi agendi) si sensu accipientur *latissimo*, ens  
simplex totum exhaustiunt. Anima tale cum sit  
ens, adparet, iisdem facultatibus eodem sensu illi  
adscriptis, nihil restare de eadem prædicandum, &

E

propte-

---

bratissimus noster & M. R. D. Wallerius (confer. cum §.  
cit. sequ. §. 96. cum diss. Ups. def. ejusdem sub præsid. de  
*extens. princ. rat. suff.*). Quisquis sis, qui in *dubium vocas*  
vel *negas* nominatum principium, scias te, nolentem volentem,  
simul DEI O. M. omniscientiam aut in dubium vocaturum,  
aut inficias iturum esse. Si tibi placuerit *prius*, placebit  
quoque *posteriorius*, quod ex dicendis patebit.

propterea dictam dictorum actuum rationem repe-  
riri sive in intellectu sive in voluntate. Dic eam in  
voluntate ipsa inveniri, mox videbis, te a posse ad  
esse argumentari, (sic scil. *volo, quia possum velle*)  
vel statuere idem esse rationem sufficientem *sui i-*  
*psius* (sic concludendo: *volo quia volo*) quod utrum-  
que principiis ontol. repugnat. Euge! ab hac igitur  
ad intellectum (ob defectum medii) abeamus.  
Hujus (indicata significatione sumti) officium est,  
*res quocunque modo repræsentare*, deque illis *judicare*,  
ideoque in illius *repræsentationibus* cum *judicio con-*  
*junctis* continebitur adpetendi & aversandi ratio suf-  
ficiens, cum aliud internum frustra quæsieris. Si-  
quidem ergo principium rat. suff. sit universale seu  
extendatur ad quodvis contingens, relinquitur, nul-  
lam volitionem aut nolitionem dari posse sine præ-  
via boni malique repræsentatione, h. e. sine ratio-  
ne sufficiente. Hinc ergo prono (ut ajunt) fluit  
alveo, in actibus liberis obtainere nexum. Nam ex  
cognitione boni & mali intelligitur cur velim aut  
nolim; sed illam rerum ad se invicem relationem,  
vi cuius, *ex una* intelligitur, *cur sit altera*, seu, vi  
cuius, *altera* vel qua existentiam, vel qua succes-  
sionem continet rationem *alterius*, dicimus nexum,  
atqui, ergo. Porro: rationes sufficientes per *deter-*  
*minantia* recte exprimuntur (Cel. D. Wall. S. M. §.  
198.), sed positis determinantibus ponuntur deter-  
minata (§. ejusdem 196.). Vides igitur ponit *a-*  
*ctus liberos determinatos*, quia pónuntur *motiva de-*  
*terminantia*. Fateor, inquis, sic actus liberos, cum  
flunt,

fiunt, determinate fieri, horumque determinatam certitudinem cum libertate consistere posse, fateor denique, aīs, actus liberos, cum fiunt, esse scibiles, sed si poterunt præsciri, erunt prædeterminati, h. e. determinati antequam existunt. (ff) Hocce majoris esse videtur difficultatis, sed, (Laus DEO!) non minoris evidentiæ. Assertum demonstratur, simulque ad quæstiones in notula subjecta a C. Bilfingero propositas responsuri mentem paucis aperiemus.

E 2

Possi-

(ff) Statum quæstionis hunc in modum anxie format Cel. Bilfingerus: "Sæpe, ait, (dil. Phil. §. XC.) dolui, ex pluribus quæstionibus non nisi facillimam tractari. - - - In ore omnium est, an præscientia infallibilitas faciat vel inferat necessitatem? Id facile negatur. - - - Hoc queritur: an libera præsciri possint? Neque sufficit ex parte subjecti allegare profunditatem scientiæ Divinæ & intellectus spicaciam; quid inde consequitur? Nosse DEum, quicquid est scibile. Atqui hoc queritur, an & quomodo futura sint determinate præscibilia sine necessitate præsupposita? Præscibilia in libertate sua, & præscibilia tamen determinate? Pergit ille dicendo: (§. XCI.) rectissime dicas, per principium contradictionis, alterutrum determinate verum esse, quod res futura sit, aut non sit. Quæritur an id sufficiat ad hoc, ut determinate jam præsciri possit, an futura sit? An potius non futura sit? - - - Si certissimum sit, Titium esse voluptatibus deditum ut quam maxime, intentum adeo occasionibus, quascunque captare possit; si certissimum, cras illi occasionem fore optatissimam, sine impedimentis quibuscumque animo occurribus, quin etiam cum præsentanea utilitatis specie: num determinate futurum, num determinate præscibile est, ipsum se cæno voluntatum esse immersurum; & cet. Hactenus ille."

Possidet S. Numen intellectum vere infinitum, vi cuius, idem, omnia præsentialitate ideali præsentia sibi simultaneo & distinctissimo actu repræsentat, omnia scil. determinate scibilia. Proprie igitur loquendo, respectu DEI nihil præteritum, nihil est futurum, sed universa & singula, actualia & possibilia tam absolute quam cum se invicem connexa, ipsi ab æterno in præsentissimo vix obversantur. Finge namque contrarium, & dic, DEum nosse in tempore, quæ ab æterno non novit, habes DEum successioni ideoque limitationi obnoxium, quod contradictorium est, taceo impium. Hinc, posita actuum liberorum, dum fiunt, determinata certitudine, simul ponitur eorum præscibilitas determinata. Præclare igitur Hen. Hæpfnerus: (in Loc. Theol. pag. 126.) DEus præscit rem omnem, non aliter ac si jam facta esset, quod autem factum est, id necessarium & immutabile, non simpliciter, sed ex hypothesi. Citante Baumeist. Instit. Metaph. pag. m. 277. Ast, objectionem nihilominus iterabis dicendo: quod ab æterno præscitum est, ab æterno quoque præscibile ideoque prædeterminatum fuerit, necesse est. Recte hoc. Placet ergo, actus liberos tales esse commonistrare. Ut sic pateat, quo fundamento nitatur illa adsertio: DEus præscit infectum ut factum. Horum æternam prædeterminationem in eorum causis quærimus. Maneamus vero in exemplo in notula allato. Pone iam voluntatem dictis motivis in- & reclinari, pone, sublatis impedimentis positaque ratione sufficiente cum omnibus suis circumstantiis evaden-

svadentibus & disvadentibus, poni id, cuius est ratio. Dico jam, non tantum *hodie*, verum etiam ab æterno certum esse & fuisse, Titium cras, si ipsi *nonna* ambulandi, *plura* amicos invisendi, ast *plurima* voluptatibus fruendi sistuntur *motiva* coniuncta cum impedimentorum absentia & optata occasione, missis primo atque secundo, tertium fore aetrum, dices quoque tu, nisi allata tollere volueris principia, quæ quidem tolli nequeunt, & sic in ceteris. Nihil enim requiritur amplius, quam ut adsit intellectus perfectissimus, qui ab æterno scire valet, quænam in tempore cuivis quavis occasione fortissima fuerint motiva, quænam circumstantiæ omnes, hisce namque cognitis, simul cognitum est, quid quovis tempore sint acturi alii, sim acturus ego. Distinctius loquar: Motiva sunt rationes sufficietes *determinationum* voluntatis, determinatio-nes vero voluntatis causæ *actionum* *externarum* liberarum. Perspectis ergo ab æterno *motivis*, simul perspectæ sunt *determinationes* & ex his pendulæ *actiones* in tempore *actu futuræ*, interim intellectui infinito *idealiter* tamtum *presentes*. Sed quæris iterum: quomodo præsciri possunt *motiva* cum dictis omnibus circumstantiis? Per *nexus*. Motiva enim sunt representationes boni maleique (per dem.), quæ, cum contingentes sint (per defin. cont.) habebunt in prioribus quibusdam aliis mutationibus & circumstantibus conditionibus rationem sufficiensem cur quavis ansa erunt potius, quam non, hæ, non alia, hoc, non alio gradu (per pr. rat. suff.).

Vides sic H. L. nos merito contendere actus liberos omnes determinata ab æterno fuisse veritate fundata in caussis eorundem liberis, non autem in *absoluto* quodam DEI decreto. Timent nonnulli ne ex hacce prædeterminatione oriatur *necessitas*, sed eandem ne suspicandi quidem ullam perspicimus rationem. Habes sic tres illas propositiones, ea, qua fieri potuit, brevitate, *pro viribus explicatas & demonstratas.*

### SCHOLION I.

In intellectus representationibus cum judicio conjunctis contineri rationem sufficientem volitionis & nolitionis *actualis*, cum diximus, iisdem verbis *vim agendi* animæ internam *inclusive* indicatam volumus. Ubi enim volo aut nolo adest *mutatio*, omnis autem mutatio supponit *actionem*, omnisque *actio vim agendi*. Cum vero *quævis externa vis* ab hisce *actibus* sit removenda, cum anima ad eosdem se ipsam determinet, cum denique voluntas sit facultas *indeterminata* (hæc per dem.), requiritur omnino *vis* quædam animæ *interna*, quæ indeterminatam illam facultatem ad *actum* perducere valeat, quaque exclusa dicta ratio non esset sufficiens. Paucis: Intellectus representationem, judicium & *vim agendi internam* simul sumas, necesse est.

### SCHOLION II.

Posita ratione sufficiente, poni id, cuius est ratio, certum est, imo certissimum. Sed cave putas, hinc vel ipsam *rationem esse necessariam*, vel *contingentiam*, quod, illa posita, ponitur, *contingentiam necessitate commutari*, nam absurdum utrumque. Pone hoc, sic quod antea erat contingens, jam erit necessarium, cum tamen necessarium sit *immutabile* (Cel. D. Wall. S. M. §. 595.). Recte igitur definit Aristoteles

ἀναγκαῖον (necessarium) per τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν (quod non potest aliter esse vel aliter se habere). Sic etiam Commentatores Hispani (in Log.), necessarium, inquiunt, dicitur ens, impossibile ad aliter se habere & mutari. Mutari autem nihil aliud est, quam aliter se habere nunc, quam prius (vide §. cit.). Quod igitur contingens aliquando fuit, necessarium nunquam erit. Pone illud scilicet rationem sufficientem, quod ponitur, contingentis, esse necessariam, recurrat mox profligatum absurdum, nimirum, contingens quod per eam potius est, quam non est, hoc, quam alio modo, in necessarium conversum iri. Nam ex principiis Ont. constat talia esse determinata, qualia sunt determinantia. Si ergo dicta ratio (ut determinans per pr. Ont.) esset necessaria, contingens, quod illa posita, ponitur, etiam (ut determinatum per ead. pr.) foret necessarium, sed falsum est posterius (per demonst.) ergo prius quoque, ergo utrumque implicat, quod vellem.

## §. VI.

**O**mnia igitur & in hocce mundo actuali & in infinitis illis mundis possibilibus sciri praescirique possunt. Cur aliquid sciri praescirique possit, duplex a Philosophis postulatur ratio, objectiva una, subjectiva altera. Per illam intelligunt objectorum vel ipsarum rerum determinatam veritatem. Per hanc intellectum infinitum. Illam alias fundamentum rerum scibiliū & praescibiliū objectivum, hanc subjectivum dicere amant. Cum enim res omnes considerantur vel ut in suis caussis antecedaneis determinata & prædeterminata veritate gaudentes, vel ut ab intellectu infinito determinate sciuntur atque præsciuntur, vides postu-

postulati caussam. (tt) Arctissimum, inter utrumque hocce fundementum, intercedere nexum, neminem latet. Dic enim DEO competere omniscienciam, tolle vero objectorum *scibilitatem & præscibilitatem*, re vera dices eum *omnia nescire*. Dic contra, objecta omnia actualia & possibilia *scibilia præscibiliaque esse*, intellectum autem non dari perfectissimum, omniscientiam habebis nullam. Certissimum ergo est, objectum *scibile & præscibile* supponere intellectum *scientem & præscientem*, vice versa, atque sic desideratam oriri scientiam. Hic de fundamento illo *objectivo*, ut nosti, nobis sermo est. Recte acut. Bilfingerus (com. de Or. & Perm. M. M. §. 186.) *scientia*, inquit, & *cognitio*, etiam *infinite perspicax*, supponit *scibile*, & *determinata cognitio*, *determinate scibile*: determinate autem *scibile*, non est nisi determinatum; dissonaret alioquin a *scientia objectum*, eoque *scientia ejus nulla foret*. Tanti viri gravissimum monitum nostris semper obversatum est oculis, ideoque in antecedentibus omnium, tam actualium, quam possibilium *scibilitatem & præscibilitatem* ita stabilire tentavimus, ut simul pateret, illæsam esse nostram libertatem. Nihil jam restat, nisi, ut ex præmissis deducatur conclusio. Quid *scire*? Quid est *præscire*? *Scire*, est res per suas rationes causasque cognoscere, seu quibus rationibus principiisque quævis veritas nitatur. Aliquid certo cognoscere, antequam sit, quod actum consecutum

---

(tt) Vide Diss. Ups. ed. sub Præsid. C. D. Wall. de fundam *Præscient.* Div. §. X.

rum sit, per rationes prædeterminantes, appellatur *præscire*. (uu) Ex hisce definitionibus liquet, omnia *scibilia* esse, vel *sciri posse*, quorum dantur rationes sufficientes & determinantes, *præscibilia* vero, vel *præsciri posse*, quæ per rationes & causas prædeterminantes ante, sunt, quam existunt, determinata. Seu, (ut loqui memini C. D. Wallerium) ea natura sua sunt *præscibilia*, quæ in antecedanea quadam causa suam rationem sufficientem agnoscunt. Jam, quoniam §§. nost. IV. & V. nos evicisse speramus, & in hocce mundo & in ceteris possibilibus dari *nexus*, (talem scil. qualem rerum natura permittit) vi cuius, omnes & singulæ omnium mundorum res, in causa quadam antecedanea sui agnoscunt rationem sufficientem, determinantem & prædeterminantem, sequitur, easdem & *sciri* & *præsciri* posse.

## SCHOLION.

Alia occasione (si DEus vitam & vires largiri dignetur) commodior erit ostendendi locus, Philosophos pro nostro concipiendi modo omniscientiam DEI triplicem merito facere, scientiam scil. simplicis intelligentia, Visionis vel liberam & medianam. Placet hic verbo tantum, sed distincte indicare, quid requiratur, ut cuiusvis objecta sint *scibilia*, cum eorum non idem sit *scibilitatis* fundamentum. Hec ergo nititur nexus inter conditionem & conditionatum, cum illius objecta sint futurum sub conditione nunquam licet existente. Illa, cuius objecta sunt absolute possibilia, præter absolutam possibilitatem nullum aliud postulat, aut opus habet scibilitatis fundamentum, spectantur enim hæc juxta principium contradictionis ut intrinseci possibilia.

F

1st a

(uu) Wyttens. Tent. Theol. Dog. Met. Scient. pert.  
pag. 238, 239.

Ista denique (loquor scientiam visionis) ntitur principio rationis sufficientis, vi cuius omnia quæ extiterunt, sunt & erunt in aliquo antecedente & coëxistente sui agnoverunt, agnoscunt, & agnoscunt rationem sufficientem & finalem. Nostri enim hujus scientiae objecta esse actualia omnia, præterita nimirum, præsen-  
tia & futura, ideoque illam sub se comprehendere præscientiam, qua Deus ab æterno novit, quæ certo futura sunt, sive in lib-  
eris creaturarum rationalium determinationibus, sive in mun-  
do materiali (Cet. D. Wall. Prænot. Theol. §§. 72. & 74.)  
Deum ergo O. M. vi allati principii futura præscire merito di-  
xeris, eo modo scil. quod perspiciat, quomodo a priori sem-  
per (naturaliter) sequatur posterius. Hoc scivit & scite innuit  
ORIGENES (apud Euseb. Præp. Evang. Lib. 6. Cap. II. pag.  
287. C.) hisce verbis: ἐπιβάλλων οὐ θεος τῇ ἀρχῇ τῆς ποτμα-  
τικῆς ἔδεινος ἀνατίς γνωμένης, ἐπιπρέπει τῷ νῷ ἐκασταν τῶν ἰσο-  
μένων. Οὐών, ὅπι, ἐπεὶ τόδι γέγονε, τόδι ἐπει). Εἰσαὶ δὲ γένην)  
τόδι τὸ ἐσόμενον, τόδι ἀρχήθει. Ἡ ταῦταιν τόδι ἐστι. Καὶ  
ὅτῳ μέχεται τέλος τῶν περιγράψαντων ἐπιπρέπεις, ὁδεν, ἐτέλος.  
Hoc est: Deus moliens initium fabrice mundi, cum nulla res cau-  
sa sua destitutatur, quodlibet futurorum mente percurrit, videt, si  
factum hoc sit, id inde secuturum, quod ubi secutum fuerit, istud  
exinde consecuturum, hoc iterum posito, id futurum esse, & ita ad  
finem rerum procedens, novit, quecumque futura sunt (cit. Wytenb. lib. ant. cit. p. m. 240.). Idem docet Bilfinger. Dil. Phil.  
§. CLXIII. ubi ita: “Pendet ex eodem nexus certitudo futuri-  
“tioneis rerum determinata, & præscibilitas rerum objectiva. - - -  
“Neque intelligo, quomodo præsciri determinate possit, cu-  
“jus non est determinata cum aliqua re existente connexio?  
“Attendant illi rei auditores, &, si quid hac parte proficiant,  
“præscibilitatem determinatam futurorum, et si sine nexu cum  
“præexistentibus, dilucide concipiendo, tum sciant, se aliquid  
“novi præstissem. Ego, ait denique, dum meliora distincte  
“docear, ex nexus præscibilitatem derivo, sed nexui necessitatem

aufero, relinquo solam determinationem futurorum.“ Utet  
 que rectissime. Lubet tam quæ ab illis sunt dicta, quam quæ  
 a nobis (ut spero) demonstrata simili quodam illustrare. *Mun-*  
*dus enim & horologium* optime cum se invicem comparari pos-  
 lunt. Sicut ergo Automatarius automaton vel horologium fa-  
 bricaturus, ante sibi mente sistere debet totam ejusdem stru-  
 cturam, simulque cognoscere quinam vi illius oriundus sit  
 motus, quinam partium minimarum maximarumque futurus sit  
 effectus, quinam denique omnium in uno seu cum fine, quem  
 intendit, consensu; ita multo magis necesse fuit, ut, cum  
 DEus huic systemati mundano possibili, existentiam largiri  
 meditaretur, prius (*ἀνθεμητικῶς* loquor, intellige *εοπτε-*  
*πᾶς!*) perspexerit, quid, per nexus Physico-Mechanicum &  
 Logico-Moralem a se sapientissime instituendum, futurum er-  
 rat, atque quo modo omnes & singulæ res, cunctaque in mate-  
 rialibus & spiritualibus eventus *cum se muto & cum fine*, quem  
 sibi proposuerat, *ultimo*, conspirarent, unde hujus, quam ce-  
 terorum æque possibilium (per dem.), mundi, majorem per-  
 fectionem colligere posset, iisdem scilicet pari modo lustratis.  
 Finge namque contrarium, mox plurima enascentur absurdæ,  
 quæ sine nausea non cogitari, ne dum recenserit possunt. *Hanc*  
 actualium & possibilium *lustrationem* maxime fuisse necessariam,  
 nullus dubitabit; nega vero rerum nexus & ex eodem deri-  
 vandam futurorum prædeterminationem! *Qua ratione* tunc fieri  
 eadem potuisset? Scias denique, hanc de præscientia DEI  
 doctrinam *in* duntaxat videri difficultem & incertam, qui *infinitam*  
 DEI cognitionem ad nostræ manipularis scientie amissim (scien-  
 tes, an nescientes?) metiri solent. Quæ arrogantia *Socinian*!  
 Discatis, quæso, quod *אֵל רְדוּת הָוָא* (1. Sam. 2: 3.  
*DEus scientiarum ille*) *וְאַנֹּשׁ אַתֶּם* (*sed homines miserrimi-  
 vos*) quorum quisque contradicit ignorantiae morbi memor fa-  
 teri deberet: *אֲנוּ בָעַר וְלֹא אָרַע בְּחִמְרַת הַרְיָה עַטְקָן*  
 (Psalm. LXXIII: v. XXII.).

**H**EJAM sunt AE. C. veritates, quas solidæ omnisciæ DEI tractationi, fundamenti loco, substernendas esse putavi, totidemque sagittæ, quibus meam, aliorumque, qui in arenam cum nominatæ scientiæ hostibus descendere voluerint, in primis refertam esse oportet pharetram, si quæ erit victoriæ spes. Erunt forte, qui arbitrentur, me iisdem encleandis justo diutius immoratum esse. Sciant igitur illi, *me maluisse non festinare, quam me ipsum non intelligere.* Spero id consilii adprobatum iri ab illis, qui possunt lectionem suam non præcipitare (verba sunt Bilfingeri Dil. Phil. pag. 471. ad calcem). Meminerint quoque proverbii: *nunquam (a nobis) satis dicitur, quod nunquam (ab adversariis) satis discitur,* & Catonis illud dictum: *sat cito, si sat bene.* Si qui autem contra, me nimis in præmissis veritatibus explicandis munierintque *celeritatis* incusaverint, perpendant, non deesse libros, quorum copia rerum, mea festinando enata earundem inopia sublevari supplerique poterit. Si denique amice quæsieris, quid in hacce qualicunque dissertatione *meum?* Quid *alienum?* Amicissime respondeo: *principia sunt aliorum; errores, qui in conclusionibus, me infcio, occurrunt, mei.* Si quid, præter illa & hos, boni, aut veri in eadem reperieris, DEI est, cui semper sit soli, laus, honor & Gloria !!!

